

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO GRADUALIS

De

**PHILOSOPHIA
CHRISTIANA**

Quam

*Confentiente Ampliss. Fac. Philos. in Reg.
Acad. Aboens.*

Sub PRÆSIDIO

HENRICI HASSEL,

Eloq*v.* Profess Reg. & Ordin.

Publico examini submittit

S:*æ* R:*æ* M:*æ* tis ALUMNUS

JONAS BERGENHOLTZ

Wexionia-Gorbus.

Ad diem XXII. Aprilis Anni

MDCCXXXVIII.

loco horisque solitis.

ABOÆ, Ex*c.* Joh. Kiæmpe, R. Ac. Typ.

S:æ R:æ M:tis
MAGNAE FIDEI VIRO
Reverendissimo
PATRI ac DOMINO,
DN.. GUSTAUO
ADOLPHO
HUMBLE,
S. S. Theol. DOCTORI consummatissi-
mo, Diœceseos Wexioniensis **EPISCO-**
PO Eminentissimo, Vener. ibid. Senatus
Ecclesiastici PRÆSIDI Gravissimo, Gymn.
& Schol. per Diœcesin **EPHORO**
Adcuratissimo,
MÆCENATI MAXIMO.

Quemadmodum ea est ratio atque conditio
omnis eruditioris humanae, ut nisi sobria
sit & iusta, omnem profici dignitatem amittat,
& ita quiaem jure meritoque; ita mor-
tales omni ope arniti decet, ut in scientiis
philosophicis integritas & puritas obtineatur
& conservetur. In ceteris vero huic principue
instiuto conducitur verbi Digni inter philoso-
phian-

plaudum pia consideratio, qua fieri docebit,
ut a quo illa lumina magna revelationis &
rationis ad felicitatem & huius vitae & fu-
ture, veram solidam & constarem progeni-
gnendam, in orbe Christiano amice concufo-
rante. Huc tendunt tenues nostrae cogitacio-
nes in levissimo hocce exercitio. Et quum vel
ex publicis scriptis Tuis, Reverendissime Pa-
ter, constet, quanti sobriam & sanam do-
ctrinam, tam Theologicam quam Philosophi-
cam facias, spem concipio certissimam, dignes-
sus conatum hunc benigne adspicere, eodem
que me favore compleSSI, quem antea ore,
litteris & ipso denique opere erga me sapientia
declarasti. Meum erit pro Tua & cotem
nobilitissimae familiae perpetua incolumente,
sature & felicitate vera fundere cali-
diffima. Ero dum spiritus hos regit artus.

REVERENDISSIMI PATRIS

Humillimus cliens

JONAS BERGENHOLTZ.

Maxime Reverendo atque Amplissimo Domine,

Dn. OLAVO OSANDRO,

S. S. Theol. Doctori celeberrimo, & Di-
ceces. Wexioniens. Archipræposito di-
gnissimo, Mæcenati propensissimo.

Admodum Reverenda atque Praeclarissima,

Dnis MAGISTRIS

In Reg. Gymnas. Wexion. S. Theol. &
Phil. Lectoribus laudatissimis, Patronis
& Promotoribus benignissimis.

Spectatae integratius ac fidei Viro,

Dno WILHELMO PIHL,

Antea Prætori territoriali, jam vero In-
spectori laudatissimo, avi materni loco
suspiciendo, devenerando.

Viro spectabili,

Dn. JOH. GABR. CASTORIN,


Benefactori & amico exploratissimo.

*Vobis Maeccenas, Patroni, Promotores & be-
nefactores optimi, ob plurima, eaque ve-
re paterna beneficia, atque in spem ulterio-
ris benevolentiae & favoris, specimen bosca
academicum D. D. D.*

Max. Rev. Admod. Rev. Praeclariss. & ho-
norat. nominum vestrorum.

*Observantissimus & obtri-
stissimus cultor*

JONAS BERGENHOLTZ.



PRÆFATIO.

Quod in mente nostra deprehenditur rationis lumen, supremum Numen nobis non frustra contulisse & indidisse, sed in certum utique finem & scopum, non potest non cuivis manifestum esse. Finis vero generaliter loquendo, non nisi veritatis fuit indagatio & cognitio. Hinc mortalibus nihil fuisse vel prius vel antiquius constat, quam ut illam ipsam, pro modulo ingenii & virium suarum, quisque e latbris erueret & in publicam protraheret lucem. Protecto si

A

histo-

historiam consulamus literariam, inde ab exordio mundi omni ævo inventos fuisse videbimus, qui magno studio huic vacarint negotio. Hoc autem dolemus, plurimos illorum, loco veritatis deliria sæpe & sui cerebri figmenta in scenam produxisse posterisque transmisisse. Nomina esse sufficiat priscos Philosophos gentiles, qui utut nonnulla nobis reliquerint sobria sana & utilia; negari tamen vix ac ne vix poterit, plurima in scriptis eorum occurrere absurdâ & erronea. Causa præter connatam mentis imbecillitatem, luxuriantis ingenii præcipitantiam & segnitiem in veritate juste inquirenda, revelationis fuit defectus. Hinc apposite ad rem LANGIUS (a) Cum hoc hominum genus, inquit, quod e-

tbni-

(a) vid. hodeg. lat serm. pt. 3. prafat.
pag. m. II.

thnicorum nomine appellamus, ecclesiæ
& revelata doctrine manerit expers,
quid sani, quid integri ac perfecti
ab illo expectare possumus, abunde li-
quet. Cœcus enim bœdegus lumine
privatos viatores agit devios & in-
foueam precipites. Hoc observan-
tes, qui ex cœtu Christiano Phi-
losophiaæ operam dare cœperunt,
de illius emendatione saluberrimi-
mum cepere consilium, & ad a-
mussim scripturæ sacrae, falla &
absurda corrigeret, deficiensia sup-
plere, rationem adeo in rectam
viam deducere conati sunt. Et
hinc nata est distinctio inter Phi-
losophiam Gentilem & Christianam. De
hac nempe Christiana, loco spe-
ciminis academicæ, paucis agere
constitui, omnium bonorum fa-
vorem & benevolentiam certo
certius mihi promittens.

SECTIO PRIOR.

§. I.

PER Philosophiam Christianam

intelligimus eiusmodi scientiam, quæ
occasione veritatis in scriptura S. de re-
bus philosophicis occurrentibus magis
excolitur, emendatur, amplificatur
& confirmatur, quam in statu
gentilismis vel factum est, vel facile si-
eri posuit. Duplex esse omnis co-
gnitionis nostræ fundamentum,
rationem & revelationem nemini
nem fugit. Cum igitur Christi-
ani rationem excolere studemus,
stultum foret revelationem omni-
no relinquere, & nos ita gerere
circa meditationes nostras philo-
sophicas, quasi eam plane igno-
raremus. Potius obligati sumus
illam ipsam, tamquam pharum
lucidissimam respicere & sequi,
dum vasto eruditionis pelago nos
committimus. Scilicet dantur in
sacro codice, præter ipsa my-
steria, quæ rationi impervia sunt,
plurima, quæ simul per eam
quodammodo patescunt. Ad hæc
ipsa

§

ipfa attendere debet philosophus christianus, & ad illorum amissim examinare illa quæ rationis scrutinio inveniuntur: Si convenienter cum Scriptura Sacra non possunt non vera esse, sin minus falsa omnino habenda & ab erroneo iudicio profecta; præstat quippe proprio mentis iudicio diffidere, quam Deo & religioni injurium esse.

§. II.

Hic tamen magna cautela opus est, ne decipiatur. Antequam enim Philosophus aliquid supponat tamquam veritatem, cui in meditationibus suis innitatur, certus omnino esse debet de mente spiritus Sancti & sensu genuino scripturæ, eam nempe hoc & non alio modo intelligendam & interpretandam esse. Unde facile colligitur, illis non tuto nos super-

superstruere posse cognitionem nostram philosophicam, de quo-
rum explicatione & interpreta-
tione ad hoc sub judice lis est,
adeoque ex hypothesi hominum
pendent. In his enim sine ali-
quo respectu ad scripturam tan-
tisper philosophari licet, donec
argumentis idoneis demonstretur,
quinam verus sit sensus, & quo-
modo scripture in hoc casu sit
intelligenda. Sed ubi scripturæ
sensus manifestus, apertus & e-
videns est, tum nulla tubest ra-
tio, cur philosophus illa non se-
quatur, quæ S. S. affert.

§. III.

Deinde & illud vitandum, ne
ex scripture tamquam princi-
pio philosophemur, hoc est ex ve-
ritatibus, quas suggerit sacer co-
dex, vel perfectum systema phi-
losophicum, vel integrum aliquā
disciplinam condere & compila-
re

7

re in animum inducamus. Sunt enim plurima in philosophia, & quidem omnibus tere scientiis, de quibus ne verbum exstat in S. Scriptura. Stultum itaque foret illa, quæ non inveniuntur, querere, & quasi per crines trahere & contorquere verba, ut sensum aliquem eliciamus ad stabilendum illa, quæ tantum ex hypothesi nostra deducitur. Quia in re multum peccarunt nonnulli, ut qui ex primis capitibus Geneteos, integrum quoddam systema physicum voluerunt exstruere & orbi erudito obtrudere, tamquam Argi existimantes, se illa ipsa in scriptura pervidere posse. quorum ne minima quidem ibi existant vestigia; non alium certe in finem, quam ut singulares suas opiniones & cerebri figura menta de rebus naturalibus stabilirent, & auctoritate S. Scripturarum pal-

Spalliarent: cuius vitii ab erudi-
tis jure arguuntur **COMOENIUS**,
CASMANNUS, **BALZERUS** aliquae,

§. IV.

VIdendum denique ne ex li-
bertate & usu philosophiæ
huius christianæ occasionem ar-
ripiamus *ulterius*, quam par est, pro-
grediendis, existimantes nos ratio-
ne ea rimari posse, quæ longe
supra eam posita sunt. Ad quam
classem referuntur illi, qui ipsa
mysteria, rationis scrutinio subji-
cere voluere, utpote **BARTH.**
KECREMANUS mysteriū Trini-
tatis ex ratione probari ad-
serens. Huc pertinent, qui phi-
losophiam non tantum Scripturæ
interpretem, sed & omnium con-
troversiarum judicem faciunt.

§. V.

Sunt qui existiment, hanc phi-
losophandi rationem, qua in
sub-

subsidiū adhibetur Scriptura S., *absurdam omnino esse & rejiciendam.* Verum si intra præscriptos limites & cancellos continetur philosophia Christiana, tantum abest, ut vel rejici vel damnari possit, ut potius commendari & probari debeat. Veritas enim nobis semper euræ cordique esse debet, omniqve studio & opera anniti decet, ut ad illam perveniamus. At quæ in S. Scriptura occurrunt, non possunt non, prout diximus, vera esse. Cum itaq; nos profiteamur Christianos, nonne ridiculum foret rejicere illa ipsa, de quorum apodixi certissimi sumus, rationiqve permettere ut incertis passibus vagetur?

¶. VI.

Gatis etiam adseritur confusione & commixtionem hinc existere. Tum demum obtinge-

ret hoc ipsum, si contendemus S. Scripturam principium philosophiae esse debere, & ipsa mysteria, quæ propria sunt Theologiae, philosophicæ subjecemus considerationi. Sed nunquam hoc ipsum vel in mentem venit sanioribus philosophis. Curat utraque quod suum est, retinet distinctum suum principium. Libertas philosophandi non tollitur, sed potius augetur; ita tamen, ut intra justos limites continetur, ne ratio deliria proferat. Ubi enim veritas non amatur & retinetur, ibi revera existit confusio, non vero ubi semper & ubique ad illam habetur respectus. Ita in philosophicis multa presupponuntur ex una disciplina in tractatione alterius, id que sine vitio confusionis.

SECTIO POSTERIOR.

P

§. I.

Postquam præstantiam Philosophi-

sophiæ Christianæ in communi
asserimus, prærogativam ejus
per varias disciplinas speciatim
adstruere conabimur. Quod ita-
que ad principem omnium scienti-
arum Theologiam Naturalem attinet,
novit qvivis, ad quantum post
tempora philosophorum gentili-
um evecta sit hæc ipsa fastigium.
Cujus certe rei precipua fuit cau-
sa, revelatio, ad quam respici-
ens ratio, Deum ejusque perfec-
tiones considerare rectius, quam
sibi relicta potuit. Et ambabus
manibus amplectimur, quod scri-
bit celeb. CHRISTIANUS WOLFI-
US (b) in hunc modum: *Sacra scri-
ptura suppeditat Theologiae naturali pro-
positiones, que in ea demonstrari de-
bent, consequenter philosophus eas non
invenire, sed tantum demonstrare te-
netur.* Enimvero qui in veritatis

inve-

(b) *Did. Theol. Nat. Pt. Prior: Prole-
gomen: §. 22. p. 22.*

inveniendis, & in jam inventis demonstrandis versati fuere, ultiro confitentur facilius esse, veritates jam inventas demonstrare, quam non dum inventas reperire, immo, demonstrari posse inventas, quas reperire non posseramus, etiam si arte inveniendi polleamus, propterea quod de his cogitandi ansa non suppeditabatur. Reperiuntur quidem non nulla in scriptis gentilium de Deo sana; sed quorum plurima forte traditione ex ecclesia derivata, vel commercio cum populo Dei nituntur: verum simul observare licet in illis perplurima deliria & figmenta in doctrina de Deo, quæ satis comprobant, quam periculose sit rationi quidquam tenetare in his sine adjumento revelationis.

§. II.

IN doctrina de angelis etiam philosophiæ gentili longè antecedens

dit christiana. Fecere quidem mentionem dæmonum & genitorum gentiles; sed dubitanter nimis & confute de iis locuti sunt. Probare voluit Aristoteles eorum existentiam ex motu cœlorum constanti. Plato ex eo, quod Divinæ Majestati inconveniens esset sine ministris regere diffusum mundum. Alii aliter. Quæ quantum valeant, cuivis patet. Feliciter in his versatur philosophus christianus; præsupponit enim integrum, certam & apodicticam notitiam de existentia illorum ex S. Scriptura. Et deinde vires rationis excutit, facile videns hac probabiliter saltem eorum existentiam adstrui posse, attendo nempe ad varios effectus, qui neque sola ex corporum natura proficiunt, neque viribus humanis perfici possunt, tales que sunt ut neque a Deo ipso im-

mediate provenire queant; unde ad causam, qvæ neque mere Divina, neque corporeæ neque humana sit, concludit.

§. III.

DRo asserenda *anima immortalis.*
Rtate ratio haud spernenda suppeditat argumenta, quæ partim ex ipsa animæ essentia simplici & immateriali, partim ex justitia Divina desumit; verum sibi relata, non potest non de veritate tanti momenti in dubitationem saepe incidere. Hinc gentiles, qvum in hoc dogmate confirmando vel maxime essent occupati, hæsitanter locuti deprehenduntur. Quid vel ex Cicerone colligere licet, qui utut in antecedentibus, argumentis variis immortalitatem animæ adstruxisset, tandem tamen ait: (c) si ^{hoc}

(c) vid. Cic. Maj. & XXIII. §. 5.
 p. m. 877.

ber erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro. Hic vero revelatio egregium præstat emolumentum, dum nos de veritate hujus rei plane convinxit.

§. III.

Antequam de facultatibus animæ agemus, in transcurso de mundo quædam adhibere lubet. Ubi quæstio occurrit magni ponderis, de illa ex qua productus est materia, cuius æternitatem magna pars gentilium propugnavit. Sed philosophus christianus ex scriptura sacra creationem nulla præexistente materia factam, & secutam rerum omnium formationem cum suis circumstantiis perdiscit.

§ V.

DUæ distinctæ observatæ sunt in mente nostra potentiaæ & facultates intellectus & voluntas, quas ambas suis laborare imperfici.

fectionibus & vitiis gentiles ex posteriori sive experientia. satis superque cognoverunt. Hinc tantæ apud illos de hominum miseria querelæ, hinc crebræ lamentationes frequentesque gemitus, quod quasi inviti multa facerent, a quibus tamen abhorrebant. Unde Poëta :

*Nitimus in vetitum, semper cupimusq;
negata.*

Sed cum ipsum fontem & originem mali, prout postea dicetur, ignorarint, remediis praescribendis justis omnino impares fuere. Imprimis hoc dicendum venit de morbis voluntatis, quorum scaturiginem, si in puta amorem perverium, ut sibi cognitum perspetumque non habuere; ita tantum abest, ut langventi voluntati mederi potuerint, ut ejuscemodi haud raro tradiderint pracepta moralia; quæ philautiæ alendæ

po.

potius, quam compescendæ & intra rationis gyrum cogendæ inser-
viunt. Unde iterum LANGIUS (*d*)
Ubi, inquit, non luculenta existant
vanitatis ac philautie vestigia & pre-
cepta, nec non pungentes ambitionis sti-
muli? *Ubi* defunt vanitatis illecebre,
& varia malorum irritamenta? *A-*
grum ubiqz videmus male cultum, ma-
lis seminibus sparsum, malorum fru-
ctuum satis feracem. *Hic* infelix lu-
xuriatur lolium; illuc steriles avenae di-
minantur, & non raro frigidus in-
berba anguis latet. At in his mul-
to tutius & felicius versatur Chri-
stianus. Detecta enim prima o-
rigine & ipso tonte, ex quo pro-
pullulant hæc vitia voluntatis, &
plura & certiora iudicis remedia &
præcepta invenit, quibus effræni
coercentur affectus, amori pro-
prio limites figantur & tranquil-
litas promoveatur, quam gentilis.

B

§. VI.

(a) vid. pref. ant. cit. p. 13.

VI.

NE scit nemo, quam discrepantes sententiæ, dissidia & altercationes fuerint apud gentiles de origine mali. Nec mirum. Quidam etenim mali, saltem cum suis circumstantiis considerata, est res facti, quæ nullo rationis acumine detegi potest, fide dumtaxat historica cognoscenda. Gentiles vero ejusmodi historia creabant. scriptura autem sacra docet primos homines creatos fuisse ad imaginem Divinam, h: e: integros & rectos sine ulla labe & vitio, eosdem vero suorum malorum genii deceptos a Deo sponte defecisse, unde ipsi facti sunt vitiosi, & contagio mali in omnem progeniem transiit. Atque hinc illæ lacrimæ. Novit igitur Philosophus Christianus veram originem mali, homini revelatione destituto imperscrutabilem.

§. VII.

§. VII.

NEque minus in quæstione de summo bono turba cœcutivit gentilium; dum alii illud ipsum in virtutis actione posuerunt, alii in speculatione, alii in voluptate, & quæ sunt reliqua. Sed philosophus Christianus facile videt bonum, quatenus absolute summum spectatur, non nisi Deum ejusque fruitionem esse posse. Etenim oportet illud ipsum constans & perenne esse & quidem tale, ut desiderio hominis per omnia satisfacere valeat, eoque obtento, nil deesse, quod ad felicitatem facere possit. Qui certe characteres non nisi in Deum & unionem hominis cum Deo cadunt. Hæc autem veritas omnium evidentissime in S. literis proponitur, ubi etiam boni, quod diximus, obtinendi illa exhibentur media, quæ ratio vel

sagacissima ignorat. Dantur quidem nonnulli ex cana antiquitate, qui in Deo summum bonum quærendum esse docuerunt. Imprimis eo nomine laudari meretur Plato; verum, quemadmodum pro more suo egregie observat celeb. *BILDDEUS* (e) bac adiud eos incertis nitebantur fundamentis.

Faxit Deus T. O M, qui & revelationis & rationis lumen nobis concessit, sic utamur utroqve, ut summi boni simus participes tam in hac, quam futura vita.

(e) vid. *Theol. mor.* pt. I, c. I. Ses. IV. §. CXIV. p. m. 146.

